

Quod deus ter optimus maximus auspicato fieri velit, exercitatio medica de humoribus, quam ... / sub moderamine ... Dn. Jacobi Israel ... Publicae disquisitioni subjicit Fridericus Süsskind Vayhinga-Würtembergicus.

Contributors

Süsskind, Fridericus.
Israel, Jacob, 1621-
Universität Heidelberg.

Publication/Creation

Heidelbergae : Typis Aegidii Walteri, Academiae Typographi, Anno M. DC. LVIII. [1658]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/n6femybx>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

QUOD DEUS TER OPTIMUS MAXIMUS¹⁷
AUSPICATO FIERI VELIT,

EXERCITATIO MEDICA

DE

HUMORIBUS,

Quam

SUB MODERAMINE

VIRI MAGNIFICI, NOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI,
EXPERIENTISSIMIQUE

DN. JACOBI ISRAEL.

MEDICINÆ DOCTORIS, EJUSDEMQUE
PROFESSORIS ORDINARII, ACADEMIÆ p. t. PRO-
RECTORIS MAGNIFICI, ET FACULTATIS DECANI
SPECTATISSIMI, FAUTORIS ATQUE PRÆCEPTORIS
OMNI OBSERVANTIÆ CULTU
DEVENERANDI;

Publicæ disquisitioni subjicit

FRIDERICUS GUSTAV VAYHINGA-
WÜRTEMBERGICUS,

IN COLLEGIO MEDICORUM

Horis consuetis

Die IV. Decembris



HEIDELBERGÆ,

Typis ÆGIDII WALTERI, Academiæ Typographi.
ANNO M. DC. LVIII.



V I R I S

Reverendo admodum atq; Eruditissimo

DN. M. JOANNI JACOBO GASTPARO,
Ecclesiae Nusdorffensis in Ducatu Wür-
tembergico Antistiti, Cognato meo æta-
tem colendo,

Et

Spectatissimo, Experientissimoq;

DN. JOANNI MELIORI Güsskind/
Vayhingensium Senatori ac Pharmaco-
pæo, Parenti meo omni filialis obsequii
cultu æternum prosequendo

*Hasce ingenii primitias Aca-
demicas*

Dico, Consecro,

FRID. Güsskind.



HUMORUM magnum esse ad vitam cum omnium tum hominis imprimis usum, multis argumentis evidens omnino est. Id enim emne quo augentur partes solida, quo ossa in eam, quam videmus, molem excrescant, quid aliud quam humorem fuisse dicemus? Ut non male scripserit Lemnius eos nunquam homini dum superest ac spirat deesse posse, absque summo valetudinis detrimento. Quum autem Medicina ea precipua esse debeat cura, indagare naturam rerum, quae ad sanitatem ac corporis incolunitatem aliquid faciunt, destinavi de humoribus in praesens agere.

T H E S I S I.

HUMOR Græcis ὑγρόν, non uno eodemque sensu semper accipitur. Physicis enim Humor est illa aëris & aquæ patibilis qualitas, alienâ superficie non sua terminabilis, cujus dominatu liquida & mollia omnia facillè cedunt tangenti. Medici verò in generaliori significato tribuunt id nominis corpori seu substantiæ profluenti & liquida. Quâ significatione omnes in humano corpore succi & liquores, omniaque liquida (exceptis partibus solidis & spirituosis) in vasis & cavitatibus contenta, humores vocari poterunt, sive sint utiles, & vel in primâ, secundâ, tertiâve

concoctione geniti, ut chylus, bilis flava vesiculæ fellis, lac, semen, sanguis maternus, saliva, serum sanguinis: sive inutiles, ut feces, urina, sudor, lachrymæ, &c. Avicenna specialius definit, corpus scilicet fluidum, in quod alimentum primò vertitur.

II.

Propriissimè autem & *primariò* humoris nomen competit quatuor tantùm illis succis alendo corpori destinatis, qui sub formâ sanguinis continentur, & ex quibus massa sanguinea componitur, unde excluduntur chylus, lac, semen; &c. *Secundariò* verò secundariis, qui in nutritione partium, appositione & agglutinatione perpendendi; *deniq;* humoribus excrementitiis tam naturalibus, quàm præternaturalibus.

III.

Quæ cum ita sint, definitur nobis HUMOR secundùm plerosque Medicos corpus liquidum, in quod chylus vi hepatis secundum veteres, vi verò cordis, secundum recentiores ad nutriendum corpus convertitur.

IV.

Ante omnia autem hic sese offert quæstio, *An nimirum humores sint partes corporis?* ea enim videtur fuisse sententia Hippocratis, 6. Epid. comm. 7. quando corpus humanum divisit in ἰχοντα, ἰχόμελα καὶ ὀρμῶντα, id est, continentia, contenta & impetum facientia, seu ut alii vocari volunt, στερεὰ, ὑγρὰ καὶ πνευματώδη, solida, humida & spirituosâ, ubi sub nomine contentorum humores complectitur. Ad quod respondetur, distinguendo nomen partis, quod non uno modo semper sumitur; quod si enim consideretur generalius pro eo omni, quod naturaliter in corpore continetur, & ad corporis animati constitutionem ac conservationem necessariò requiritur, secundum Hippocratem, ac totum complet, humor partis nomine rectè censebitur.

tur. Quicquid enim à toto demere non licet sine totius dissolutione ac interitu, meritò id pars dicetur totius. Si verò strictius sumatur, prout propriam à se habet circumscriptionem, figuram, certumque incrementi modum, totique cohæret, sicut partes solidæ, quæ propriè appellantur partes ab Anatomicis, humores verò nusquam hæreant conjuncti, sed fluxi vasi quasi conclusi deerrent, tunc humor partis nomen non merebitur.

V.

Divisionem Humoris quod attinet, dividitur is ab aliis ex Galeno lib. de nat. hominis in generantem & genitum. *Generantem* vocant, ex quo omnium solidarum partium substantia est, atque adeo tota humani corporis compago constituitur, qualis est semen & sanguis maternus, quæ duo proxima generationis nostræ sunt principia. *Geniti* verò *humoris* nomine intelligunt eum, qui est in massa sanguinea, & in venis & arteriis continetur.

VI.

Verùm missâ hâc divisione, ista nobis potius arridet, quâ humor à plerisque in *naturalem* & *praternaturalem* disperditur.

VII.

Naturalis est vel *alimentarius*, vel *excrementitius*: *Alimentarius* rursus dividitur in *primum* & *secundum*.

VIII.

Primus dicitur sanguis, qui in vasis suis continetur, & quatuor illos humores adhuc sub se complectitur. Secundùm *Avicennam* sanguis inter humores est præstantissimus, quia in eo consistit vita (uti etiam in sacris nostris legimus, *Levit. cap. 17. versu 11. & 14.*) est fons vitæ, primum vivens & ultimum moriens, in quo tanquam in fonte, calor primò & præcipuè

abundat, vigetque, & à quo reliquæ omnes totius corporis partes calore influente foventur, vitamque obtinent. Calor quippe comitatus sanguinem, totum corpus irrigat, fovet & conservat. Propterea sanguis ubique in toto corpore reperitur; nec usquam id acupungere vel minimum scalpere queas, quin sanguis ocyus profluat: tanquam absque eo naturæ thesauro si foret, nec calor partibus, nec vita superesset, attestante Clarissimo Harveo *lib. de generat. animal.*

IX.

Definitur *sanguis* humor calidus & humidus, dulcis sapore, colore rubicundus, in epate (secundum veteres) ex partibus chyli temperatioribus confectus.

X.

Dicitur *Hippocrati calidus & humidus*, quia conservat vitam animalis, quæ in humido tanquam materiali, & calido tanquam formali principio consistit. *Dulcis* præterea est, quia à calore moderato genitus, & ex optimâ & temperatissimâ parte chyli, etiam ob spirituum copiam, sine quibus nil est in corpore calidum. *Colorem rubeum* ab epate participat, cujus parenchyma est rubicundum.

XI.

Est verò *sanguinis Vox homonyma*, & duobus intelligitur modis, *primo* pro omni in venis concluso succo, alendoque corpori destinato, (in quo pituita scilicet, utraque bilis, & tenues serosique liquores continentur) quâ ratione sanguis non est homogeneus, sed tota massa ex differentibus humoribus conflata. *Secundo* modo accipitur sanguis propriè pro quartâ massæ sanguineæ substantiâ, è directo reliquis humoribus oppositâ, & è cujus exuberantiâ tota massa suum nomen sortita est. Hoc significatu sanguis alimentum corpori non præbet, sed prout cæteros humores habet permixtos.

XII.

Quum enim magna sit partium humani corporis diversitas, quarum calidior alia, frigidior alia, rursus alia mollior, seu durior, verosimile est, ut ut non omnes partes ex eadem simili que substantiâ nascantur, ita nec eâdem nutriri, sustentari que posse. Seminis enim materiam è quâ generamur, non esse unius naturæ, sed varias in eâ partes consistere, adhiberi que ejus portionem crassiorem solidis, humidam mollioribus, calidam calidioribus palam est, ut & chyli, ex quo fit sanguis, omnes partes non sunt unius essentiæ, sed aliæ magis temperatæ, humidiores aliæ, sicciore, crassiores, tenuiores, idque cum ob assumptorum varietatem, tum ob diversitatem alterationis diversarum ejus partium factæ in ventriculo.

XIII.

Obvenit autem circa hæc quæstio illa, de qua inter Philosophos & Medicos videtur fuisse controversia, *Utrum nimirum corpus nostrum solum sanguine nutriatur, an verò humoribus quatuor in massa contentis?* Aristoteles enim 2. de histor. animal. solum sanguinem contineri in venis, illumque solum nutrire scribit. Cui sententiæ ad stipulatur Fernelius & Averrhoes quoque, qui puro sanguine ali partes, reliquos verò liquores excrementa solum esse opinatus est. Medici vero antiqui cum Hippocrate & Galeno quatuor humores simul fieri à jecore, iisque conservari corpus contendunt.

XIV.

Verum hæc quæ in speciem dissentire videntur, conveniunt, si attendatur duplex illa acceptio sanguinis. Aristoteles enim quando corpora sanguine prædita solo sanguine ali dixit, procul dubio id de priori acceptance intellexit, prout reliquos in se humores continet, nemo enim sanior diversas naturæ partes sanguini inesse negaverit, cum diversis partibus corpo-

ris diversum debeatur alimentum. Idem de reliquis sentien-
dum. *Galenus* verò *lib. 2. de element.* expressè statuit, constare
& nutriri hominem non solo sanguine, sed & quatuor humo-
ribus, quod & *Hippocrates* asserit. *1. de natur. human. 18.*

XV.

Continentur humores certâ quidem proportione in ve-
nis & arteriis, verùm inæquali. In constitutione mediocri &
temperatâ quantitas sanguinis major est omnium aliorum hu-
morum quantitate, quia ejus causa efficiens est calor tempe-
ratus, temperiei humanæ naturæ maximè conveniens. San-
guis enim à natura primò intentus, quoniam eo plurimùm
eget pro alimento & instauratione balsami naturalis, & quan-
tum fieri potest generare illum & conservare studet, quâ de
causâ venas & arterias per universum corpus transeuntes, ad
custodiendum sanguinem & ad membra distribuendum, con-
struxit.

XVI.

Sequitur hunc in quantitate Pituita, quæ & ipsa insignis,
facilè in sanguinem convertibilis, pluribus itidem partibus a-
lendis necessaria, minor sanguis, major bilis & melancholiæ
quantitate. Tertium locum sibi vendicat succus ater seu me-
lancholicus, & tandem Bilis omnium paucissima, minor
quantitate sanguinis, pituitæ & bilis atræ.

XVII.

Quæ omnia intelligere operæ pretium est in corpori-
bus naturaliter benè dispositis, quæ enim à sanitate deflexe-
runt, ea talem proportionem haut servant.

XVIII.

Habent præterea quatuor humores magnam conveni-
entiam cum quatuor elementis, ætatibus & quatuor tempo-
ribus anni.

Elementis quidem comparantur juxta elementarium
qualitatum combinationes, ita ut sanguis succorum opti-
mus, calore & humore præditus correspondeat aëri, unde
Versus ille vulgaris,

Humidus est sanguis, calet, est vis aëris illi.

Phlegma seu pituita verò convenit cum aquâ, quæ à Physicis
habetur pro frigidâ & humidâ. Bilis seu sanguis biliosus
proximè accedit igni, calida & sicca imbuto qualitate, qui
tametsi aspectu tactuque adparet humidus, potestate tamen
& effectû calidus est, urentisque naturæ. Melancholia sic-
cior, densiorque pars sanguinis ac fæculenta eluvies assimila-
tur terræ, quæ frigiditatem cum siccitate junctam habet.

XX.

Quod ad ætates, sanguinis æquiparatio fit ad adolescen-
tiam florentemque ætatem, quæ ferè sanguineo rubentique
colore est perfusa, (quamvis aliis etiam naturis non desit,) quæ
ætas est temperatissima, humanæque naturæ maximè con-
venientem obtinet temperiem, ut sanguis reliquorum humo-
rum temperatissimus. Bilis respondet ætati virili quæ calida
est & sicca. Pituita & Melancholia senectuti, quæ ob humi-
di radicalis consumptionem & caloris defectum censetur fri-
gida & sicca, frigida verò & humida est ab ascititiâ membro-
rum temperie, ubi magna, ob caloris nativi debilitatem,
excrementorum cumulatür copia, quod testatur Galen. *l. 2.*
de temper. cap. 2. senes excrementis humidos, propriâ sub-
stantiâ esse siccos, quâ ratione pituita illi convenit ætati.

XXI.

Respectu quatuor temporum anni, sanguis eam con-
ditionem ac vim sortitus est, ut vere vigeat. Pituita hyemæ

capit incrementum , Bilis æstati affinis , Melancholia autumno augetur.

XXII.

Verum quum contrariorum effectuum contrariæ sint causæ , & bilis contrarietur pituitæ , sanguis melancholiæ & vicissim , dubitari hic potest , *An idem numero calor quatuor humores simul efficiat ?* Videri enim cuiuspiam possit , non esse veritati consonum , ut , si sanguis ex temperato nascatur calore , secundum authores , reliqui humores ab excedente , unius caloris beneficio id peragatur , sic enim calidiori præditus constitutione semper bilem gigneret , vel quia in unoquoque homine simplex sit & uniusmodi calor , unicus saltem per consequens producatur humor , quod utrumque falsum est.

XXIII.

Ubi notandum , differentiam hanc humorum non unius caloris vi , vel solis qualitatibus , sed alimentis assumptis , tanquam materiæ propriæ unicuique humori familiari acceptam esse ferendam , siquidem ex iis in nobis quolibet anni tempore , ætatibus , generibus vitæ , cœli constitutionibus , humores gignuntur. Quemadmodum enim chylus , licet simplex unusque cui videatur subsistentiæ , revera tamen diversas in se continet partes , uti supra dictum : Ita credibile est , calorem jecinoris ex sententiâ veterum in tam variam & diversum chylum agentem , eique æquali virtute & conatu incumbentem , diversos simul humores procreare , cum ab efficiente causâ simplici plura produci possint diversa , ob materiei dissimilitudinem.

XXIV.

Secundus seu secundarius humor primum illum in massâ sub triplici contentum specie immediatè consequitur. Ejus nomine quatuor veniunt humores , qui singulis partibus propriè

priè destinati sunt nutritionis & conservationis gratia , quatenus nimirum præparant, perque gradus alterant alimentum. Ut enim perfecta fiat nutritio , necessum est singulas partes sanguinem alterare & assimilare , præcedente assimilationem appositione & agglutinatione.

XXV.

Nam primò ubi sanguis in venis & arteriis summum perfectionis gradum adeptus est , & è venis & arteriis amplioribus in angustiores & mínimas illas dictas capillares venas & arterias pervenit , levem aliquam suscipit mutationem à facultate partium circumstantium , à sanguine tamen non multum est diversus , qui proprio nomine carens , à nonnullis *sanguineus humor seu oleaginosus* vocatur.

XXVI.

Postquam hic humor è cæcis exitum venarum & arteriarum osculis seu foraminibus excidit , roris instar in substantiam partis dispergitur , & singulis membrorum partibus apponitur , fitque tum vera humoris appositio , qui *ros seu roridus humor* adpellari consuevit.

XXVII.

Ubi postea partibus appositus est, ulteriori partium calore & coctione lentorem quendam acquirit & concrefcit, ita crassior redditus , parumque congelatus agglutinatur partibus & annectitur , nondum tamen perfectam attingit substantiam partis , vocatur hic humor *Gluten*.

XXIIX.

Quartus dicitur *Cambium*, quando videlicet magis adhuc coquitur , & ita in universam partis substantiam transit, ut usquequaque eidem perfectè assimiletur , ejusque naturam referat. Sed dicti hi humores specie non differunt , sed secundum magis & minus.

Sequitur *Humor naturalis excrementitius*, qui est vel *quantitate solâ excrementitius*, vel *qualitate*.

XXX.

Quantitate solâ, ut est secundum *Galen. 3. de caus. sympt.* semen & sanguis maternus. Verum cum hæc duo peculiarem requirant tractationem, agere de iis superfedemus, aliiq̄ loco ac tempori reservamus.

XXXI.

Qualitate excrementitius est vel *utilis* vel *inutilis*. *Utilis* est fel, limus, serum, tria chymoseos seu sanguificationis excrementa, quæ à naturâ ad certa relegantur membra, ut sanguis eo purior proalendo corpore relinquatur.

XXXII.

Fel seu bilis flava in vesiculâ jecori appensâ propriè sedem habet, quæ per meatum choledochum ad finem intestini duodeni mittitur, ut suâ acrimoniâ facultatem expultricem stimulet ad expellendas feces, suoque colore tingendas, ne diutius, quàm opus est, ibi morentur, abstergendam insuper lentam pituitam, interioribus intestinorum membranis adhærentem.

XXXIII.

Limus seu Melancholia colore dicitur nigra, ex crassâ & terrestri portione chyli facta, lutulenta sanguinis & feculenta cluvies, in liene à veteribus residere fertur, ut eâ nutriatur, & coctionem juvet, quia acerba & acida cum sit, ventrem contrahat ad amplectendos & retinendos cibos, *Galen. 5. de usu part.* inutile verò per intestina aliasque vias expellatur.

XXXIV.

Serum à primâ concoctione generationis suæ aliquod capit principium, licet in tertiâ demum separetur, sanguinis vehiculum ab Hippocrate vocatur, cuius humorum permistum,

sum, quo defertur sanguis ad angustos meatus nutritionis causa, officio suo ubi defunctum in deducendo sanguine, prolectatur à jecore & venis in renes, à quibus per ureteres in vesicam delabitur, sensim ibi colligitur, & tanquam ignavum futurum venis onus per urinam excernitur, quæ inde suam habet denominationem, varièque coloratur pro ratione admixti seri; à sanguine enim prodit serum coloris rubri, à pituitâ albis; à cholera rubri, à melancholiâ subfusci, docente Galeno 4. de tuend. sanit. cap. 4.

XXXV.

Inutilis est stercus, urina, sudor, triplicis coctionis recrementa.

XXXVI.

In primâ concoctione *stercus seu feces alvi* in ventriculo antea cum chylo confusæ & bilæ tinctæ secernuntur. In secundâ excluditur *Urina*, serosum illud sanguinis excrementum, cum portione bilis excrementitiæ, unde in homine sano urina citrino ferè semper colore fulget. In tertiâ *Sudor* naturalis, qui per cutem evaporat, & residuum quid est serosi humoris illuc evehit.

XXXVII.

Obiter hic ratio reddi potest, *Quare hyeme minimum sudemus, plurimum mejamus?* hyeme enim calor internus est concentratus, ita ut externus non facilè sudorem possit elicere, nisi vehementi aliquâ id fiat commotione, quare materia sudoris resolvitur intra corpus, & cum urinâ ejicitur. Contraria verò est ratio, *Cur aestate plurimum sudemus, minimum mingamus?* quoniam externus calor solis levi negotio corpus nostrum resolvere, internum evocare, atque ita poros cutis aperire valet, ut non sit mirum multum exhalare sudoris, quod urinæ tum decedit

XXXIIX.

Antequam autem sciamus, quis humor sit præter naturam,

ram, prius cognoscendus est humor secundum naturam, cum uno contrariorum cognito alterius natura dilucidior adpareat. Est verò secundum naturam, dum tria hæc habet requisita, videlicet 1. substantiam, id est consistentiam, 2. quantitatem i. e. proportionem, 3. qualitatem, i. e. odorem & saporem, ab his si degenerat, erit contra naturam.

XXXIX.

Ut enim humores naturales quatuor massæ sanguinæ sunt portiones, & *bilis seu sanguis biliosus* quarta massæ pars calidior & siccior, ex tenuiore & calidiore parte chyli genita, *pituita* sanguinis portio crudior, frigidior & humidior, *melancholia* frigidior & siccior, ex maximè terrestri chyli parte generata: Ita si dicti hi humores non servent justam proportionem, substantiam, qualitatem, & à naturali constitutione recedant, *præternaturales* vocantur *humores*, qui peccant vel vitio qualitatis, vel quantitatis, vel consistentiæ, unde pro varietate causarum variæ ipsorum oriuntur species & differentiæ.

XL.

Pituita præternaturalis tres recensentur species: *Acida*, *salsa* & *vitrea*.

XLI.

Acida pituita naturali multo frigidior & crudior, à sapore quem exspuentibus exhibet, nomen habet, ob caloris inopiam producta, quòd præter primam in ventriculo confectionem vix aliam in epate & venis alterationem acceperit.

XLII.

Salsa calida & sicca fit à putredine pituitæ dulcis, vel admistione salis serosæque humiditatis, teste *Galeno 2. de differ. febb. c. 6.* respectu aliarum specierum nocentior habetur.

XLIII.

Vitrea omnium frigidissima, quia ægerrimè concoqui potest,

potest, viscida & crassa, vi caloris genita, vitro liquefacto in colore, viscositate & pondere simile, magnâ ex parte caput, ventriculum atque intestina obsidet, quibus acerrimos infert cruciatus. In intestinis enim sævissimos dolores Colicos & Iliacos excitare potest. Hæc cum aliquando ad lapidis vel gypsi duritiem concreseat, & in articulis digitorum deprehendatur, dicitur *Gypsea*.

XLIV.

Bilis citra naturæ legem in corpore nostro genita *quadruplex* est: Vitellina, porracea, æruginosa, & Isatodes.

XLV.

Vitellina medicis vitellis ovorum similis dicta, quorum consistentiam & colorem æmularur, generatur in venis & in jecinore ab adustâ bile flavâ, vi caloris præternaturalis, tenuem ejus substantiam dissipante & incrassante, unde crassiorem sibi adsciscit consistentiam.

XLVI.

Porracea à porri virore nuncupata, fit ex cibis calidis præcipuè, edulisque vitiosis in ventriculo corruptis, quando nimirum à naturâ nec domari, nec in succum salubrem elaborari queunt, à sanis per alvum quandoque excernitur. Interdum tamen hæc bilis etiam ex gravissimis morbis in venis producit, ex luteâ caloris extranei incendio densâ.

XLVII.

Æruginosa ab æruginis similitudine vocata, nascitur interdum in ventriculo ex corruptis esculentis, quando calor est intensior, interdum etiam in venis, ex crocâ nimium adustâ bile.

XLVIII.

Huic succedit *Glaſtea*, quæ à colore herbæ Isatidis, quâ fullones inficiunt pannos *Isatodes* appellatur, oritur ex æruginosa magis adhuc exustâ in venis, aliquando & in ventriculo,

quæ

quæ si longiori uſtione ad cæruleum vergat colorem atræ bili
quàm proximè accedit.

XLIX.

Atra bilis seu Melancholia nonnaturalis alia est ex bile vi-
sellina, quæ uſtione vel putreſcentiâ primùm in porraceam,
deinde æruginosam, glaſteam & tandem in atram convertitur
bilem, reliquorum peſſima, acris, terram aceti inſtar fermentans,
tantò peior deprehenditur, quantò bilis flava atrâ est
acrior.

L.

Alia à ſucco melancholico trahit originem, quæ ab illo dif-
fert tanquam fæx uſta à non uſtâ, acris & ipſa, mordax, in cinc-
rem quaſi abit.

*Tibi Æterne Deus, qui me lactis in morem fudiſti, & caſei ritu coagulaſti: qui
me argilla modo feciſti: qui me tuis manibus elaboraſti, ac ſimul undiq; feciſti:
cute & carne induiſti, oſibus ac nervis compegiſti: benigno vita ſucco
dotaſti, idemq; mihi tuâ curâ ſervas ſpiritum, ſit Laus
in ſeculorum ſecula.*

*Præſtantiffimo ac Literatiſſimo DN. SÜSKINDT
Medicinæ Studioſo diligentiffimo.*

HActenus eximio diſcis S ÜSKINDE labore
Phillyrias artes, & quæ medicamina CELSVS
Edocuit, Veterum quicquid Doctiſſimus HERMES,
Aut quicquid celebri reperit PARACELSVS in arte.
Nunc etiam doctæ tentas luctamina pugnæ
Humorumque ortus incertos quæris & uſus.
Fallor an hæc medicam ſpondent certamina laurum
Et capiti decus inde tuo? ſic dulcia Patri
Gaudia! ſic magnam feret hæc induſtria laudem.

Feſtinâ manu ſcribebat

ERICUS MAURITII J. U. L.

